ti ardore audiebant. Et quiſquiſ ut uoluit et po-
tuit notarioſ adhibentes: et ea que dicebantur ex-
cepta deſcribentes: inde iam per totum africe corpus
preclara doctrina: odorque ſuauiſſimus xpi diffuſus
et manifeſtatus eſt. congaudente quoque id compe-
rtum eccleſia dei transmarina. Quoniam ſicut cum
patitur unum membrum, compatiuntur omnia mem-
bra: ita cum unum glorificatur membrum congaudent
omnia membra. Ille uero beatus ſenex ualerius cete- Ille uero ſenex
ris ex hoc amplius exultans et deo gratias agens de
conceſſo ſibi ſpetiali beneficio: metuere cepit ut eſt
humanus animus: ne ab alia eccleſia ſacerdote priuata
ad epiſcopatum quereretur: et ſibi auferretur. Nam et
id proueniſſet: niſi hoc idem epiſcopus cognito ad locum
ſecretum eum tranſire curaſſet: atque occultatum a querenti-
bus minime inueniri feciſſet. Unde amplius for-
midans idem uenerabilis ſenex et ſciens ſe corpore
et etate infirmiſſimum: egit ſecretis litteris apud pri-
matem epiſcopum carthaginenſem: allegans imbecillitatem
corporis ſui etatiſque grauitatem: et obſecrans ut in
hypponenſi eccleſie ordinaretur epiſcopus: quo ſue cathe-
dre non tam ſuccederet: ſed conſacerdos accederet
auguſtinus. Et que optauit et rogauit ſatagens
reſcripto impetrauit. Et poſtea petito ad uiſitandum
et adueniente ad eccleſiam hypponenſem: tunc prima-
te numidie megalio calamenſi epiſcopo: ualerius antiſtes
epiſcopis qui forte tunc aderant et clericis omnibus hip-
ponenſibus. Et uniuerſe plebi inopinatam cunctis
ſuam inſinuat uoluntatem. Omnibusque audientibus
gratulantibus: atque id fieri perficique ingenti deſide-
rio clamantibus: epiſcopatum ſuſcipere contra morem eccleſie
ſuo uiuente epiſcopo preſbiter recuſabat. Dumque illi fieri
ſolere ab omnibus ſuaderetur: atque id ignaro tranſma-
rinis et africanis eccleſie exemplis probaretur: com-
pulſus atque coactus ſuccubuit: et maioris loci
ordinationem ſuſcepit. Quod in ſe poſtea fieri
non debuiſſe ut uiuo ſuo epiſcopo ordinaretur: et dixit